



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-590130-p0001-7

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-590130-p0002-3

DFG

Σὲν Θεῷ
DISPUTATIO JURIDICA PUBLICA.

De
**LEGITIMA TESTAMENTORUM FACTIONE FACTORUMQ.
INFIRMATIONE,**

QVAM

Authoritate & consensu Magnifici, Nobilis ac celeberrimi I^ctorum in florentissimâ Academiâ
SALANA Ordinis,

P R A E S I D E N T E

Clarissimo, Consultissimo ac Excellentissimo Viro,

DN. VALENTINO MELASIO
Brandenburg. J. U. D.

Propugnandam suscipiet

MICHAEL SMELTZENIUS

Ex Archiepiscop. Bremen. Saxo

Die XIIIX. Junii in Auditorio I^ctorum.

OS (O) OS

J E N Æ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.

Anno M. D. C. XVIII.



*Strenuo, Magnifico, Nobilissimo ac Consultissimo
VIRO,*

DN. LEVINO Marshalck /

Reverendissimi ac Illustrissimi Principis ac
Domini, Dn. JOHANNIS FRIDERICI, D.G. Archi-
episcopi Bremensis, Haeredis Norvegiae, Ducis Holsatiæ &c.
a consiliis intimo, actotius Archiepiscop. Brem.
archisatrapæ dignissimo.

NEC NON

Viro Amplissimo, Clarissimo & Consultissimo

Dn. SAMUEL GECHUSIO, J.U.D.
Illustrissimi & Celsissimi Principis ac Domini, Dn. JO-
HANNIS ERNESTI, D.G. Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae,
Montium, &c. Consiliario ac consistorii Vina-
riensis Præsidi dignissimo.

*Dominis Mecænatibus, fautoribus, promo-
toribus ac Sympatriotis suis excellenti-
simis, præclarissimis summèq; coleudis.*

*Hanc exercitationem Academicam favoris
promerendi gratia, per officiosè*

Dicat, dedicat & offert

*Michaël Smeltzenius ex Archiepisc.
Brem. Saxo. Autor & Resp.*



DE JURE TESTATI.

THESIS I.

Publicè disputaturus de præcipuâ rerum universalium acquisitionis specie, antequâm ad definitionem ipsam accedam, præmittendum puto; Hereditatem quæ, nihil aliud est, quâm successio in universum jus (a) quod defunctus tempore mortis (b) habuit; dupli viâ deferri: unâ quidem jure Testati (c), quæ inde hereditas testamentaria; alterâ verò lege vel ab intestato, quæ legitima appellatur. Hac hoc loco & tempore postpositâ & neglectâ, illam priorem, ut pote cujus causa potior est (d), paucis pro ingeniali mei modulo explanabo.

a) l. 24. ff. de verb. sig. l. 62. de R. I. eog; differt à bonorum possessione, quæ non est successio in ipsum defuncti jus seu patrimonium, sed successio seu jus persequendi retinendi. Patrimoni defuncti l. 3. §. 2. ff. de bon. possession. b) quia viventis nulla est hereditas. l. 1. ff. de hered. vel act. vend. l. 1. ff. pro hered. c) §. final. Inst. per quas person. cuiq; acq. d) l. 89. ff. de R. I. l. 8. C. comm. de success.

II.

Testamentum, cuius denominatio investiganda (a), ex eo appellatur, quod testatio mentis sit (b): scilicet quod testantis mentem, ejusq; animum voluntatemq; contineat.

a) arg. l. 1. ff. de ju. & jur. b) princ. Inst. b. t. quæ tamen appellatio magis ipsius rei vim, quâm Grammaticam derivationem exprimit. Clariß. Dn Oswald Hilliger, præceptor meus et atèm collendus in public. prælection. Inst. ad §. 1. b. t. Et sanè J. C. imitacione Stoiorū, quorum imbuti erant disciplinis, non semper ex verbis more Grammaticorū, sed plerumq; ex ipsis rebus notationē vocabuli mutuantur, semperq; student, ut imponant nomina rebus congruetia §.

pen. Inst. de donat. confer Ampliss & Consultiss. Dominic. Arumæum,
Præceptorem itidem meum omni honore prosequendum, Exercit. 7.
ad Inst. th. 1.

III.

Definit testamentum Modestinus, voluntatis (a) no-
stræ (b) justam (c) sententiam, de eo, quod quis post mor-
tem suam fieri velit (d). Ejus originem Gentium juri tribuen-
dam esse statuo (e).

a) Hinc cùm coæta voluntas, etiā sit voluntas. l. 22. ff. de-
rit. nupt. rectè etiam dicitur illud testamento valere, quod quis vi-
vel metu compulsus facit. Fachingæ. lib. 10. controv. c. 15. quod tamen
à pretore rescindi potest. arg. l. 21. §. 5. ff. Quod. met. caus. b) Ex
nostro enim, non alieno arbitrio testamenti factio pendere debet.
l. 32. pr. ff. de here. instit. c) justam sententiam accipio, quæ sit jure
facta, quemadmodum scilicet jus in testamentis ordinandis præ-
scribit. Ceterum hanc definitonem contra quorundam impugna-
tionem sartam tectam servat ac tuetur Ampliss. Dn. Arumæ. dict.
Exerc. 7. th. 2. d) Testamentum enim robur suum post mortem de-
mum accipit, cùm in vita ad extremum spiritum usq; possit revo-
cari. l. 4. ff. de adim. leg. quod in tantum verum est, ut nemo sibi pos-
sit legem dicere, ne à priori voluntate recedat. l. 22. de leg. 3. e) Quia
testamentariae successiones leg. 12. tabul. confirmatae dicuntur. l. 130.
de V.S. Hor loco concludunt vulgo Dd. ne quidem principem ex ple-
nitudine potestatis privatorum testamentis posse derogare. per l. 5.
c. de revoc. donat. l. 7. C. de prec. Imp. offer. l. 10. C. de testam.

IV.

Cæterum cum in omnitem testamento, (a) id in primis a-
nimadvertere debeamus, an is qui fecerit testamento, ejus
factionem (b) habuerit: deinde si habuerit, an secundum regu-
las juris civilis (c) testatus sit; à methodi institutæ ratione
alienum me facere non puto, si primò de personis testamentū
condere valentibus, deinde de ipso testandi modo dispiciam.

a) Monente J.C. Gajo in l. 4. ff. b. b) quæ activa est, vel
passiva: illa ad testatorem pertinet, ut habeat testamenti condendi
jus, id est, potestatem; hæc ad heredem aliasq; personas minus princi-
pales pertinet, ut in testamento heredes institui, aut ex eo quid
capere possint. c) quia nemo potest in testamento suo cavere,
ne le-

ne leges in eo locum habeant. l. nemo. 55. de legat. l. Bronch.
cent. 3. aß. 58.

V.

Omnibus autem tām fœminis, quām masculis testamentum condere permisum est (a), nisi aliqui specialiter prohibeantur (b). Prohibentur autem quidam naturā quidam lege. Naturā ob defectum (c) vel animi vel corporis. Ob defectum animi vel ratione aetatis, ut sunt infantes (d), impuberes (e), vel casus alicujus, ut furiosi (f), mente capti (g), prodigi (h).

a) l. 5. ff. b. t. l. 26. C. de testam. b) Edictum enim de testamento factione prohibitorum est, hoc est, omnibus permittitur quasi per regulam, nisi expresse aliqui prohibeantur. arg. l. 28. §. 2. ff. ex quibus cau. maj. c) cum scilicet alias defectu isto remoto testari possint. d) quia non intelligunt, quid agatur. l. 1. C. de fals. mon. l. 18. C. de jur. delib. e) §. 1. Inst. Quibus non est permis. test. masculi quidem ad annum usq; 14. fœminæ verò ad 12. utring; completum. l. 5. ff. b. t. etiam si sint milite. l. fin. C. de testam. mil. quod adeò procedit, ut nec auctoritate tutorum testari possint. l. 1. §. 1. ff. de tut. & ration. test. imò ne quidem ad pias causas. Trentl. vol. 2. disp. 10. th. 3. lit. a. ultimi tamen anni diem nondum completum pro completo habendum esse affirmo per l. 5. ff. b. t. l. 13. 4. ff. d. V. S. An verò adultus curatorem habens absq; ejus autoritate testari possit, hic auari sollet? quod affirmandum sentio per tex. in l. 77. §. 14. ff. de leg. 2. l. 4. C. qui test. fac. l. 20. §. 1. ibid. Gothof. ff. de liber. leg. S. d quid hic de Silicerniis seu senibus decrepitis statuendum?, illis senium aetatis, modo sinceritatem mentis teneant, testamenti factiōnē non auferre certum est. l. 3. C. Qui test. fac. f) §. furiosi. Inst. b. t. nisi per furoris intervalla testentur. l. 9. C. Qui test. fac. Testamentum tamen ante furorem factum superveniens furor non perimit. §. 1. Inst. Quib. non est perm. & c. g) l. 17. ff. b. t. Rudioris tamen & hebetioris sensus qui solummodo est, adeoq; is, quem Grossolanum vulgo vocant, testari potest. Dr. Hilliger. Don. enucl. lib. 6. c. 5. l. n. h) d. §. 2. quibus scilicet bonorum suorum administratio cum cau- sœ cognitione & magistratus decreto adempta est l. 1. ff. de cur. fur. d. §. 2. Eorum tamen testamentum, quod interdictione vetustius ha- bent, valet. l. 18. ff. b. t. nec non quod sanitate morum recepta, fa-

ciam. arg. l. i. ff. de cura. furi. Paulus, 3. receperunt. 4. S. prodigus.
ad eog. & illud elogium ratum habetur, in quo probè posteritati sue
prospiciunt non obstante interdictione Nov. Leonis 39. Quatenus
enim prodigi salubriter & sanorum hominum more volunt, cate-
nus rectè velle censendi sunt. Ampliss. Dn. Hilliger. Donel. encl.
lib. 6. c. 5. lit. O.

VI.

Ob defectum corporis, non quidem quemlibet mor-
bum (a), sed quo destituuntur sensu ad hunc actum necessario
(b) ut muti & surdi (c), Item cæci, nisi testentur secundum
formulam ab Imp. præscriptam. (d)

a) l. 2. ff. b. l. 3. C. eod. b) qualis est Epilepsia & Apople-
xia. Hinc igitur leprosus & simili morbo corruptus atq. infectus,
ut & eunuchus testandi facultatem habent l. 5. C. qui test. fac. nec
non ille, qui parte aliqua corporis caret, ut si cui manus sint ampu-
tata l. 10. ff. b. t. c) Ita scilicet nati. l. discretis 10. C. b. t. ita facti
olim testari non poterant, nisi id à Principe impetrassent. l. 7. ff.
b. t. Surdiverò tantum, aut muti tantum, sive ita facti, sive ita natu-
neg, poterat olim testari, nisi id specialiter, illi voce vel scripto hiscri-
pto à Principe impetrassent, exceptis militibus, qui si utiq. voluntate
suam, voce vel scripto certò declarare possent, absq. speciali Princi-
pis permisso testari poterunt. Hænon. disp. jurid. 7. th. 4. Hodie
verò citra impetrandi necessitatem modo surdi articulate loqui, &
muti scribere possint, testamenti factionem habent ex Justiniani
constitutione in d. l. 10. C. b. t. Cæteris verò mutis & surdis, si lite-
ras ignorent, ne quidem Principis rescripto testandi facultatem
concedi posse statuo cum Treutl. vol. 2. disp. 10. th. 4. lit. E. ibi
alleg. d) in l. 8. C. Qui testa. fac. poss. in hoc testamento heredis
institutionem legatis deberi præponi nonnullis placet, quod mibi
cum Treutl. diet. loc. lit. F. in not. displicet.

VII.

Lege portò testari prohibetur quis vel ob potestatem, cui
subjectus est, vel ob statum, quem non habet, vel ob delictum-
quod commisit. Ob potestatem rursus vel patriam, ut filius-
familias (a), vel dominicam, ut sunt servi (b).

a) princ. Inst. Quibus non perm. &c. etiamsi pater conser-
vati & id permittat. l. 6. ff. b. l. pen. c. b. t. cum testamenti factio-
tribuatur

tribuatur cuig₃ jure publico & legibus, non privatorum voluntate.
3. ff. b. De peculio tamen castrensi & quasi-castrensi ipsi testandi
facultas concessa est. princ. Inst. b. t. Non parum litigii habet,
posse ne filius familiæ testari de iis bonis ad ventitiis, quæ pleno
jure habet, ita ut eorum nec ~~renos~~ nec ~~alios~~ ad patrem per-
tineat? quod negant. Dn. Arume. Exercit. ad Inst. 7. th. 6. Dn.
Fomannus disput. ad Inst. 14 th. 12. lit. F. & Dn. Hillig. Donel enucl.
lib. 6. c. 5. lit. I. à quorum ut clarissimorum meorum præceptorum
sententiâ, quia, & juri & rationi magis est consentanea, ut de-
fiscam atq₃ deficiam mihi non est consultum. Secus tamen est in si-
lio fam. milite, qui etiam de adventiis bonis testamentum condere
non prohibetur §. deniq₃ inst. de test. mit. l. 22. ff. eod. b) l. 8. ff.
b. t. l. 20. §. 7. eod. Juris enim civilis communionem non habent, sed
pro mortuis habentur. l. 32. ff. de R. I.

VIII.

Ob statum testari nequeunt obsides (a), capti ab hostibus
(b) deportati (c) peregrini (d), de statu suo errantes vel
dubitantes (e) & omnes maximam & medium capitum demis-
nutionem passi (f).

a) l. 11. ff. b. t. quia cives Romani non sunt l. 31. ff. de jur.
ff. nisi tamen eis vel expresse à Principe, vel etiam tacite usu togæ
concesso, permittatur d. l. 11. & l. 32. ff. de jur. fisc. b) l. 8. ff. b.
quorum tamen testamentū in civitate factum valet jure postlimini
si reversi fuerint ab hostibus: si verò illic deceaserint, valet ex
l. Cornelii. §. fin. Inst. Quibus non &c. c) l. 8. §. 2. ff. b. t.
Quia ex civium Romanorum numero tolluntur. §. 1. inst. Quib.
mod. jus Pat. pot. sol. Hic Bannitos seu proscriptos imperii, cum
dur orietiam sint conditione, quam olim erant deportati, & senten-
tia imperiali publicè hostes pronuncientur, testari non posse sta-
tu. arg. l. 5. §. 1. de cap. minu Gail. lib. 1. de pac. publ. cap. 19.
Quod & hodie de damnato ad mortem verum confirmant Am-
pliss. Dn. Arume. disput. ff. 17. th. 5. & Ampliss. Dn. Fomann.
disput. ad Inst. 14. th. 12. lit. b. Quid verò de excommuni-
catis? Hos utramque testamenti factionem retinere verius est,
cum similes sint relegatis nec reperiantur expresse prohibiti,
cum etiam hoc speciale sit in excommunicato propter heresi-
auth.



auth. credentes C. de hæretic. Excellentiss. Dn. Hilliger. Donel.
enucle. lib. 6. c. 5. l. 5. d) Quia jus civium Romanorum non ha-
bent. Ex Autb. autē, Omnes peregrini. C. comm. de success. testamēti
factio illis conceditur. e) l. 15. 14. ff. h. t. Ceterū de statu suo litig-
gantes testari posse verius est. Dn. Hilliger. Donell. enucl. lib. 6. c. 5.
lit. Q. in not. t) arg. §. 1. 2. Inst. de cap. demin.

IX.

Ob delictum autem specialiater testari prohibentur, qui
contraxerunt incestas nuptias (a), ob carmen famosum da-
mnatii (b), usuari manifesti (c), hæretici (d) & omnes
denique, qui jure improbi intestabilesq; esse jubentur. (e)

a) l. 6. & Autb. seq. C. de incest. nupt. b) l. 18. §. 1. ff. h. t.
c) c. quanquam ext. de usur. in 6. nisi præstitâ cautione de usuris
iniq; extortis reddendis. Hæ non disput. jurid. 7. th. 4. lit. O. impro-
bum quog; fænereratorem extra ordinem criminaliter judicis ar-
bitrio puniri posse, obiter hic statuo cum Bronch. cent. 2. a. 85. d)
quia nihil ex legibus commune habent cùm ceteris. l. 4. Autb cre-
dentes C. de Hæret. & Monach. e) l. 15. l. 18. §. fin. ff. h. t. intesta-
bilis autem fctis dicitur, qui nec testimonium aliis, nec cui alii te-
stimonium dicere possunt. l. 26. ff. h. t.

X.

Tantum de personis testantibus (a), consequens est,
ut de modo testandi agamus, qui de jure civili duplex statui-
tur. Licet enim & fide publica testari & privata: unde testa-
mentum aliud est publicum, aliud privatum (b).

a) Ilbi notandum, quod testamentum factum ab eo, qui fa-
cere prohibitus est, adeò non valeat, ut etiamsi prohibitione poste à
cessante testari possit, illamq; suam anteriorem sententiam novâ vo-
luntate confirmare velit, id tamen non possit, nisi omnia denuo so-
lenniter, eog; modo, quo oportet, peragantur: cùm hic inspiciatur
tempus, quo testamentum facit, non quo quis decedit. l. 19. ff. h. t.
b) Non attentis veteribus & jam pridem abrogatis testamento-
rum generibus, quorum unum calatis comitiis, alterum in procin-
etu, tertium per æs & librām constituebatur §. 1. Inst. h. t. Dd. ibid.

XI.

Publicum est, quod publica fide & autoritate nititur:
sitq; duobus modis: aut enim testator ultimam suam suam vo-
luntatem

Iunctatem principi libello supplici consignatam offert, inque
Scrinia (a) ipsius reserri petit: aut palam coram judice decla-
ratam vel scripto comprehensam petit ad acta publica reponi (b).
In hoc testamento testes nullos requiri: siquidem testator præ-
sens voluntatem suam declareret, arbitror (c).

a) Ubi non intelligo scrinia pectoris Imperatoris, quasi in eis
omne jus reconditum, sed armarium, quo epistole, libelli, cetera q̄
litteraria monumenta conservabantur. Donel. 6. comm. ibig, Dn.
Hiliger. in not. lit. C. b) l. omnium. 19. C. de testam. c) per d. l.
19. C. h. t. Hænon. disp. illust. controvers. 7. quest. 3. ibig, allegati.

XII.

Privatum est, quod quis privata fide facit. Estq; vel solen-
ne (a) vel privilegium, (b) Solemne rursus est scriptum
vel nuncupativum.

a) Quod quia propriè est paganorum, rectè etiam paganum
dicitur à paganis, id est, iis qui milites non sunt, sive in pagis sive
in urbibus habitent, & sic pagani militibus opponuntur, & vicissim.
l. 1. §. 2. ff. de fugit. b) quod alias etiam rectè minus solemne vo-
catur. Dn. Arum. Exercit Justin. 7. th. 4.

XIV.

Solemne scriptum Testamentum est, quod adhibitis juris so-
lemnitatibus in scripturam redditum est. Consistunt autem so-
lemnità ista in rectâ heredis institutione (a) & testandi aëtio-
ne. Hoc rursus in idoneâ singulorum testium conditione (b)
eorumq; legitimâ adhibitione, & deinde in ipso testandi facto.

a) Quæ ipsa velut caput est ac fundamentum totius testa-
menti §. 3. 4. Inst. de leg. adeò, ut ne quidem à milite omitti possit.
§. 1. Inst. de testam. mil. b) quæ eo tempore, quo signarent inspi-
cienda est, non tempore mortis: Si igitur tam cùm signarent tales
fuerint, ut adhiberi possint, nihil nocet, si quid postea eis contigerit.
l. 22. §. 1. ff. h. t. Bronck cent. 2. misc. 15. Hinc si eo tempore vel uni-
cus saltem fuerit inhabilis, testamentum redditur nullum, nec ex eo
hereditas adiri potest l. 12. C. de testam.

XIV.

Testes autem omnes sunt idonei, cùm quibus est testamen-
ti factio, nisi quidam prohibeantur naturâ, quidam lege. Na-
turâ quidem vel ob defectum animi, ut impubes (a), furio-

B sus



gas (b), prodigus (c), vel corporis, ut surdus (d), mutus (e),
coecus (f).

a) §. testes. 6. Inst. b. t. quia nec hic, quo oportet modo ali-
quid intelligit. l. 9. ff. de acq. vel om. her. b) nisi tempore dilu-
cidi intervalli. Sneidew. ad dict. §. 6. c) l. 18. princ. ff. b. t. vide
sup. th. 5. lit. g. d) d. §. 6. qui scilicet nihil placere exaudit, ignorat
enim ad quid adhibetur. Dd. ad dict. §. 6. Inst. b. t. e) d. §. qui pla-
nè nihil loquitur, testimonium enim perhibere nequit. f) Qui te-
statorum videre non potest, nec subscribere nec sigillum recognoscere.

XV.

Qui lege prohibentur, aut in totum adhiberi non pos-
sunt, ut servus (a), mulier (b), aut ob causam tantum pri-
vatam, ut Heres scriptus [c], filius intestamento patris [d],
& pater in testamento filii (e), nec non fratres in eadem pote-
state existentes [f].

a) l. 20. §. 7. ff. b. t. nisi tempore testamenti faciendi pro li-
bero sit habitus, tum enim ob publicam testandi facultatem libe-
ralitate Imper. Justinia. testam. subsistit. §. 7. Inst. hic. Servo equi-
paratur quo ad hoc Deportatus; Non vero Adscriptitus, nec etiam
Monachus, si monasterium sit institutum. Treatl. part. 2. disp. 10. th.
4. lit. I. b) l. 20. §. 6. ff. hic non ob sexus infirmitatem, nec quod
secretum tacere nequeat, aut quasi absurdum visum fuerit mulieres
rogari, Dn. Praecept. Oswald. Hilligerus, in praelect. publ. Inst. ad §.
6. de testam. ord. sed quod juris publici, à quo testamenti factio est,
communionem non habeat. l. 2 ff. de R. I. Mulierem vero in codicillis
testem esse posse eleganter docet Magnificus Dn. Arumæ. dict. exerc.
ad Inst. 7. th. 14. c) §. 10. Inst. b. l. 20. princ. ff. h. t. Legataris ta-
men & fideicommissariis testimonium non denegatur. §. 11. Inst.
h. t. Diversitatis rationes reddit Ampliss. Dn. Hilliger. in dict. præl.
publ. ad §. 11. Inst. b. ut & Ampliss. Dn. Fomannus. dict. disp. 14. th.
8. lit. L. Quod non solum in testamento scripto, verum etiam Nun-
cupativo verum credo propter generalitatem text. l. 20. in princ. ff.
h. t. & alias rationes, quas habet Dn. Arumæ. dict. exerc. 7. th. 16.
d) in cuius stilicet potestate est §. 9. Inst. b. unde emancipatus pa-
tris testamento recte testis adhibetur. Dn. Praecept. Dominicus
Arumæ. dict. exercit. th. 15. e) quem scilicet in potestate habet,
siforte

si fortè post missionem de castrensi peculio filius testetur, all. loc. 1)
§. 10. Inst. h. t. Pater tamen & filius, ut & plures fratres in unius
& ejusdem patris sacris constituti recte testes in alieno testamen-
to sunt. §. 8. Inst. h. t.

XVI.

Numerum porrò testium quod attinet, jure communi
(a) septem præcisè requiruntur, illique specialiter ad hanc
rem rogati (b): eos verò animo & corpore præsentes esse
placet (c).

a) §. 3. Inst. h. &c. ut & jure hodierno. Ita enim constitu-
tum est in Comitiis Colonienſ. Anno 1512. sub Maximil. tit. von
testamentis. §. Und sollen die Notarii. Rationes hujus numeri se-
ptenarii perelegantes affert celeberrim. J. C. t. Dn. Arumæus, dict.
exercit. 7. th. 10. Numerum quoq; istum esse de testamenti substi-
tiā per l. 12. C. de test. affirm. eundemq; in testamento tempore
pestis necessarium omnino esse puto per l. 8. C. h. t. Dn. Arumæ. dict.
exerc. 7. th. 11. statuto tamen istum numerum minui posse non du-
bitarim. arg. l. 9. C. de test. junct. §. pen. Inst. de jur. N. G. & C.
b) l. 21. ff. & l. fin. C. h. t. Nov. 9. c. 2. Alterius enim rei causâ
fortè rogati ad testandum idonei non sunt. dd. ll. parum autem
interesse puto, an à testatore vel ab alio rogentur, modò in præsen-
tia testatoris id fiat. c) adeò quidem, ut testatorem non modò au-
dire, sed etiam videre debeant. l. 9. C. de testam.

XVII.

Et hæc hactenus de testium adhibitione, sequitur agen-
dum de ipso testandi facto, quod primum consistit in ultimæ
voluntatis declaratione (a); deinde in testium officio, ut
scilicet nomina sua subscribant, aut si literas ignorent, per
alium subscribi current (b), itemque signa & sigilla sua testa-
mento apponant (c), & denique hoc totum negotium uno
eodemque tempore peragant (d), nullo alieno actu interve-
niente (e).

a) Quæ quomodo fieri possit & debeat, eleganter patet ex
rescriptis Div. Impp. Théod. & Valent. in l. hac consuliſ. 21.
& D. Justinia. in l. cum antiquitas 28. §. 1. C. de testament.

B 2 Ult s

Ut si nimis testator nullum scire velit, quae in testamento scripta sunt, licet illi consignatam vel saltem clausam involutamq; suam voluntatem proferre, ita tamen ut dicat hoc suum testamentum esse, & deinde hoc a testibus subscribi & olsignari petat. Debet & ipse testator coram testibus sua manu in reliqua parte testamenti subscribere: quod si vero subscribere nequeat, octavus adhibendus est aliquis, qui ejus nomine subscribat. Quod tamen hucusq; verum est, si alterius manu sit scriptum testamentum; nam in holographo non requiritur subscriptio testatoris aut alterius ejus loco d.l.18. verb.sancimus. b) l.ult.in fin.C.detestam.quod adeo necessarium est, ut si testis nomen suum non adscripsit, pro non adhibito habeatur l.22. §. 4.ff.h.t. c) d. l.22. §. 4 l.12. C.h.t. Obsignare autem possunt omnes uno annulo, eog; alieno.dict.loco. Imo etiam alio quovis signo praeter annulum ~~χαρακήν~~ habente signare eos posse affero per text. l. 22. §. signum ff. h.t. quod optimâ ratione defendit Consultiss.Dn. Arumæ. dict. Exercit. 7. th. 17. Donell. 6. comm. 8. ibidemq; Excellentiss. Dn. Hilliger.in notis, lit. D. Quamvis hic dissentire videatur Ampliss. Dn Fomannus, dict. disp. 14. tb. 5. lit. C. d) Unicus enim debet esse contextus subscriptionis & subsignationis l.20. §. 8. & l. seq. §. fin. ff. h.t. Quo & illud pertinet, ut omnes qui ad testandi actum adhibentur, simul maneant, donec suprema contestatio peragatur. arg. l.20. §. 8. h.t. e) d. l. 21. §. fin. C. h.t. Hinc contractum in testamento celebrari non posse verius credidarim per & propter ea, quae disputat Dn. Arumæ. Exercit. 7. ad Inst. th. 18.

XVII.

Solennitatibus testamenti scripti (a) explicatis, ordo jam posulat ulterius agi de testamento solenni Nuncupativo, quo testator suam voluntatem coram septem testibus nuncupat (b), idq; easdem solennitates, si à scriptura & signatione discessero, cum testamento solenni scriptio communes habet. (c)

a) De quo ad hoc & illud notandum, quod unum testamentum pluribus exemplis seu Codicibus possit consignari l. 24 ff. h.t. ubi tamen requiritur, ut singuli Codices a testibus subscripti subsignatiq; sint §. 13. Inst. h.t. in verb. secundum obtinentem tamen observationem. Ampliss.Dn. Ortelph.Fomann.dict. disp. 14. th. 14. lit. C.

Neta-

Nec tamen testamentum scriptum ob prætermissam fortè aliquantum
prædictarum solennitatem in vitium incidat & corruat, solet plerumq;
à testatore codicillus subsidiarius sive clausula codicillaris
apponi, ut nisi valeat, quod scriptum est, jure testamentis valeat
tamen jure codicillorum. l. fin. C. de codicill. Alias ex imperfecto
testamento nihil plane debetur, cum ne codicillorum quidem vim
habeat. l. ii. §. i. de leg. 3. Bronch. cent. 3. aß. 24. b) §. ult.
Inst. h. t. Solet tamen ut plurimum etiam id, quod testatoris vo-
ce nuncupatum est, in scripturam redigi, idj probationis causâ,
quod si fiat, testamentum, ut ab initio nuncupatum fuit, ita nun-
cupatum manet l. 4. ff. de pign. l. 4. ff. d. fid. inst. c.) dict. §. fin.
Inst. Dn. Fomann. dict. disp. 14. th. 6. lit. E. in not.

XIX.

Hucusque de testamento solenni, ordine succedit privi-
legiatum seu menuis solemne, quod singulari privilegio ga-
det, adeoque nullis observatis solennitatibus conlectum va-
let. Cujusmodi est primum militare, quod milites (a) in ex-
peditionibus occupati (b), etiam muti & surdi (c), quoconq;
modo facere possunt (d).

a) tot. tit. Inst. ff. C. de testam. mil. Quod tamen ad lanjo-
nes & licias, qui exercitum sequuntur, minime extendo. arg. l. i.
& 6. C. de testa. milit. nec etiam ad milites togatos, puta Doctores
& Advocatos. arg. l. i. ff. h. t. Dn. Praecept. Dominic. Arumæ. dict.
Exerc. 7. th. 9. Rectè tamen ad nostri temporis milites cum Dn.
Arumæ. dict. Exerc. th. 8. b) prin. Inst. h. nam post missiōnem
jure communi testari tenentur: Testamentum tamen in expedi-
tione factum, integrum annum post valet etiam extra militiam,
adeoque opus non est, ut in bello decadant. §. 3. Inst. h. modo honeste
missi sint. Dn. Praecep. Foman. dict. disp. th. 11. lit. B. in not. Atqui
haec privilegia etiam militibus limitaneis, strationariis & præsidia-
riis propter subita sepe pericula attribuo. arg. l. 6. §. i. d. V. S. c.)
§. 2. Inst. h. t. Ubi eos intelligo, qui tales sunt ex casu cum Dn.
Fomanno, dict. disp. th. 9. in fin. nam naturâ tales inter milites
non recipiuntur. Dn. Praecept. Oswald. Hilliger. in præl. publ. Inst.
ad §. 2. de test. mil. d) prin. Inst. dummodo constet ab ii

Etum, quod adeò verum est, ut etiam eorum testamentum absq; nullis festibus factum subsistere posse afferat, Dn. Arumæ. dict. Exerc. 7. th. 13. id quod à jure & ratione alienum minimè puto.

XX.

Deinde testamentum rusticorum (a) in pagis, Parentum inter liberos (b), modè non fuerit inofficium (c), nec non testamentum ad pias causas collatum (d).

a) Quibus permititur testari secundum requisita l. ult. C. de testam. b) sive id est perfectum, sive ratione solennitatum imperfectum, valebit. l. 21. §. 1. C. h. t. Cessat enim hic fraus, cui solennitatibus est obviandum & alias jure naturali Parentum hereditas liberis debetur. l. 7. §. 1. ff. und. lib. Unde etiam Ampliss. Dn. Arumæ. Exercit 7. Just. th. 12. in hoc testamento nulos testes requirit, cum haç tamen limitatione, ut haec procedant quoad ipsos liberos: secus quoad extraneos. His enim si quid in eo reliquit, omnino duos testes adesse vult. c) Ne pater contra officium pietatis facere videatur. l. par. C. de inoffi. test. d) Hoc duobus ad minimum testibus exhibitis conditum valet. c. relatum, extr. de testam.

XXI.

Hactenus de testamenti factio : sequitur de testamenti jure facti infirmatione. Infirmatur autem vel jure ordinario, vel extraordinario. Ordinario, cum vel rumpitur (a), vel irritum sit (b). Jure extraordinario infirmatur testamentum per querelam inofficiosi (c).

a) Et hoc primum fit agnatione sui heredis. §. 1. Inst. h. t. Testamentum tamen, quo præteritus posthumus vivo testatore decedit, valet, per tex. l. 12. ff. de inj. rupt. &c. Dn. Arumæ. Exerc. Justin. 10. th. 7. idq; nativitate postumi ruptum, non sustineri virtute clausulæ codicillaris, subnixus rationibus, quas adfert Dn. Arumæ. dict. Exerc. th. 8. assero. Deinde prius quoq; testamentū rumpitur per posterius ritè factum. §. 2. Inst. h. t. Unde undà voluntate testatoris non tolli testamentum statuo, per §. 2. Inst. h. t. l. 35. ff de R. J. Bronch, cent. 2 misc. cont. II. nisi eam idonea testatio & diurna in ea

in ea revocatione permaneo confirmaverit. l. 27. C. de testam. Dn. Fomann. disþ. ad Inst. 16. th. 15. lit. a. Quid si quis prioris testamenti oblitus aliud condat? Prius censetur revocatum. Ampliss. Dn. Hilligerus, Donell. encl. 6. commu. 16. lit. E in not. Ceterum dantur etiam casus, ubi prius testamentum perfectum revocatur per secundem imperfectum: De quibus videoas velim Ampliss. Dn. Arumæ. dict. Exerc. 10. th. 10. b) scilicet quando testator maximam vel medium capitis diminutionem patitur. §. 4. Inst. b.t. Imò minimam arrogatione contingentem. §. 6. Inst. b.t. non verò emancipatione. Ampliss. & Consultiss. Dn. Fomannus, dict. disþ. 16. th. 16. lit. d. c) De quâ hic agi & instituti ratio & pagellarum angustiæ non patiuntur. Atq; hæc de hac testatorum materia hoc tempore pro re nata & pro ingenii modulo dicta & tractata sufficient: ubiorem explanationem ipse discursus & conflictus disputatorius publicus suppeditabit.

PARERGA.

I.

Duorum vel plurium fratum filii, si soli sint & utrinque conjuncti, utrum in capita, an verò in stirpes succedere debeant, antiquitus juris quæstio est? Non hoc, sed illud, quod & Carolus V. Comitiis Spirensibus, de anno 1529. confirmavit, juri Justinianæ & rationi magis conveniens esse videtur.

II.

Superstitiosa illa sagarum per aquam frigidam probatio, ut nimirum sub aquas non aliter ac plumbum penetrantes, ab omni profus in-

fus incantatione alienæ renuncientur & proclamentur; plumæ verò levis instar, seu anserum, anatum, aliarumvè avicularum aquaticarum modo innatantes, tanquam reæ ac artis diabolicæ penitus gnaræ declarentur & sic ad combustionis supplicium damnentur & rapiantur: nullo modo ad hoc sufficiens est.

III.

Ducens ignoranter vitiatam ab alio, eam repudiare potest. *Ampliss. & Consultiss. Dn. Arumæ. Exerc. Justin. 2. th. 15.*

IV.

An probetur adulterium, si testes depo-
nant, quod conspexerint nudum cum undâ,
imò solum cum solâ, atq; adeò sic illos in uno
eodemq; lecto sive toro cubare : seu quòd vi-
derint solum virum & mulierem in occulto
se mutuis osculis & amplexibus demulcentes
atq; salutantes : vel si dicant, juvenem dispe-
ctoratum & caligis dissolutis in thalamo ste-
tisse ; mulierem verò ostio pessulum celer-
rimè obdidisse, & juvenem adesse
præcisè negasse? N.

GLorIa LaVsque Deo sit TrIno seMper & Vnl.

F I N I S.

ULB Halle
005 132 614

3



WMA

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



1618 14
OPICA PUBLICA.

MA TE-
RUM FA-
TORUMQ.
ONE,

nifici', Nobilis ac cele-
issimâ Academiâ
inis,

V T E

xcellentissimo Viro,

D MELASIO
UD.

scipiet

L T Z E N I U S

nen, Saxo

orio Jctorum.

8

Æ

IN MANNI.

VIII.